

Aus d. Grisebach. Archiv

Nr. 59. 1.

*DE CHRISTI GLORIA* 47  
*EX DIVI PAVLLI SENTENTIA*  
*PSALMIS LXVIII. ET CII. CELEBRATA*  
*PRAEFATVS*

---

# **SOLEMNEM ORATIONEM**

**PUBLICI MVNERIS CAVSSA**  
**IN ACADEMIA IENENSI**  
**SIBI CLEMENTISSIME DEMANDATI**

HABENDAM INDICIT-

**ERNESTVS IACOBVS DANOVIVS**

A. M.  
THEOLOGIAE PROFESSOR ORDINARIVS  
HONORARIVS

---

TYPIS FICKELSCHERRII





Quo quis doctior est sacrarum literarum interpres,  
eo video quemque studiosius nouam id demon-  
strandi rationem quaerere, quo Paullus iure  
Psalmum vltra sexagesimum octauum et post centesimum secundum,  
illum quidem quarto ad Ephesios, hunc primo ad Hebraeos epi-  
stolae capite, de Christo explicare potuerit. Omni se difficultate  
facillime expedient, vel spernere illam potius videntur, qui nos  
simpliciter iubent Paulli apostoli auctoritate stare, si quid insuper,  
hoc vnum addentes, nihil in vtroque carmine inesse, quod de  
Messia deo non satis recte dici possit. Ego vero, si in hoc ac-  
quiescendum, neque aliquid amplius dispiciendum est, non video,  
quid causae apostolo fuerit, multa alia vet. test. loca omitendi,  
quibus de summi numinis in ecclesiam fauore egregie exponitur,  
vel pleraque ea, quibus dei omnia nutu regentis maiestas luculen-  
tius etiam, quam in miseri querelas fundentis oratione\*), pingitur:  
potuisset enim illa, quum Ephesis, haec, dum Hebraeis scribe-  
ret, satis apte ad suam rem transferre, quum vtriusque generis

A

dicta

\* P. CII.



dicta nihil habeant, quod diuina seruatoris natura non dignissimum fit. Miror etiam, si illi diuini doctoris mentem recte assoluti sunt, censentes ipsum hoc sibi affueranti voluisse concedi, quodnam sacrorum prisci foederis librorum caput Messiae laudes enarret, miror inquam, quid sit, quod tantum suae tribuens apud Hebraeos auctorati, hos omnino argumentis coniuctum eat de christiana religionis praefantia, non sententia sua simpliciter proposita omnem dubitantium laborem leuet. Qui tu non percipias potius, in explicandis antiquorum librorum locis nihil suae assertioni credendum iudicasse, sed ad rectas interpretandi leges lectores remittere Paulum, dum Ephes. III. 9. *ad senzionis vocem vrget*, quam quum Dauid usurpauerit, concludit deum indigitasse eum, qui per aliquod tempus in his terris versatus sit, nec igitur de patre, sed de filio deo illo in loco agi? Quae quum ita sint, quum inquam, diuus scriptor, vbi de interpretandis veteris instrumenti vaticiniis agitur, nihil gratis sumat, quanquam sumendi ius habuisset coelesti numine actus, fuerit oportet tum temporis satis cognitus et certis argumentis innixus hic sensus, quo Psalimi CII. ultima verba in Hebraeorum mentem reuocat: his enim ita vtitur, vt de eorum explicatione nihil submoneat, neque adeo dubitari potest, quin de vera illorum sententia aliunde satis inter omnes superque constiterit. Cui rationi conuenientissimum est, et sexagesimum octauum psalmum, illa saltim huius verba, quibus in Ephesiorum gratiam vtitur, perspicua praferre indicia, quae non patientur ea nisi de Christi ex his terris in coelum reditu accipere.

Quae vero haec sint istius interpretationis luculenta indicia, ea res mirum in modum doctos viros suspensos tenet et conjecturis bene multis ansam praebuit, quas in praesenti enarraturus vereor, ne molestus lecturis essem: siquidem notissimae sunt et eo tantum valent, vt aliquis videat, post illa variorum conamina satis super-

superesse causae, quod de noua quis faciliori certiorique Dauidem cum Paulo conciliandi ratione cogiteret. Et est etiam, quod LXVIII. hymnum attinet, Ven. Ruckersfelder, qui hunc censum satis accurate instituit sexto *sylloges commentationum et observationum* capite. Ab ipso autem viro celeberrimo an disiectae sint illae huius carminis tenebrae, de quibus nobis iam sermo est, equidem valde dubito. Paulo praecunte cum optimis ille auctoribus recte omnino contendit, ab enarratione eximiorum beneficiorum, quibus deus gentem Israëliticam ornauerit Palæstinam pententem, ad futuram vatem deferri Messiae victoriam, quam post exaltatas redēctionis molestias in coelos efferendus olim aeturus sit. Quod vero maxime explicari velimus, qua demum carminis lege ad orationis argumentum plane nouum et ab illo antea tractato tam diuersum subito adeo et ex improviso poëta deferatur, a deo ad Messiam, a vietiis Israelitarum hostibus ad Christi in coelos euehendi pompam transuoleat: opinionem adoptauit hanc, qua admissa omnem dubitationem tolli sibi persuaderet, in solemni ceremonia quum hymnus cantaretur, eum morem seruatum fuisse, ut alii choro haec pars, quae commaribus 19-24. constat, recitanda committeretur, alii reliquas traderentur. Quam Pindarici carminis rationem eo certius hic sibi obseruare videtur, quod ista demum probata appareat, quam apte diuus Paullus nostro loco ex consilio suo vtatur. Quod si facile adeo ad perspicendum iam esset, permagna vtique coniecturæ commendatio foreret; sed mihi id non aequum obuium esse, ingenuus fateor. Ut enim hoc nunc mittam, omnem antiqua carmina in suas partes describendi normam, quam adscierit aliquis vna hac causa impulsus, quod ita demum sensus obscuritas tolli queat, vel hoc ipso nomine suspectam merito vide ri, quod viri docti in Sam. Tillii ratione obseruant, vbi a grammaticis aliquem in Psalmis locum interpretandi praefidiis de-



stitutus sensum non assecutus est, dramaticam oeconomiam mox adhibentis, qua supersedere se posse intelligit, cui verborum notatio bene cognita est, vel qui ad coniunctorum vim diligentius attendit. Id igitur si vel condonarem doctissimo viro, tamen quod praecipuum est, prorsus non perspicio; si durum quid sit in carminis serie vnius ore dicta, idem mox emolliri, quum plura advocentur, inter quae recitandi officium diuidatur. Nexus non vides, quo sequentia cum praecedentibus cohaereant, ipse hymnum continuo studio legens: faceundem a duobus vel pluribus ita tibi praelegi, vt subsistat alter, alter perget eo ipso loco, qui male videbatur in hunc contextum illatus; vix crediderim ita effectum iri, vt sentias, quae hiulca antea fuerant, iam plana esse redditia, te nunc nihil impeditum ea via progreedi, quae paullo ante vel maxime morabatur. Et ita quidem hic rem se habere, sensus quemque suus facile edocet, siquidem in cantico, quod vnum est, quum plures inter se canendi vires permutant, debent certe, quae alter effert, iis, quae a priore prolata fuerant, hoc modo respondere, vt istae partes aperte satis se inuicem pendeant et altera adeo alteram magis illustret, certe hunc adesse nexus sine opera intelligas, quum primum eiusmodi partitio instituta sit. Quod nostro in carmine, si *Ruckersfelderi* distinctionem in subsidium vocaueris, nihilo minus est, quam quum illa carueras.

Neque etiam Psalmum CII. diligentius rimandi otium nobis video factum esse a viris bene multis iisque doctissimis, quum his, qui in ipsa Davidis carmina, tum maxime iis, qui in Paulli ad Hebreos epistolam commentati sunt. Vates Iudaicae gentis in exilium, quantum iudico, Babylonicum delatae casum lugens multa etiam ad depraedicandam fummi numinis gloriam canit, quae quum deo lehouae omnino conuenientissima sunt, tamen ne vestigium quidem per omnem elegiam occurrit, quod moneat, in Messiam

Messiam ea dicta esse. Quid igitur est, quod chaldaicae paraphræos auctor preces has ad Messiam fusas autumet? quin, quod Paulum apostolum hac parte sibi consentientem habeat, Hebr. I. 10-12? Sed quum reliquis interpretum artibus nihil opus sit, sunt tamen recentissima duo summorum virorum iudicia non præterea. *Michailem* indigito et *Semlerum*, illustria hodie nomina, qui hanc ad Hebraeos epistolam eximiis nuper commentariis illustrantes, de nostro quoque loco sententias aperte dixerunt. Videntur, quales illæ sint, et si quid iudicare valemus, quam illæ vim habeant, certe nostras dubitandi rationes explicemus, ne temere tantorum virorum vestigia reliquise videamus.

Vterque igitur hoc hymno de Messia expositum aliquid esse negat, Pauli vero illum ad Christi laudes conuertentis mentem diversis modis declarant.

III. *Michailem* quidem ea ratione, quam in notis *Peircii* paraphræsi subiectis olim inierat, improbata, iam ita statuit: \*) apostolum non Christi caussa haec Psalmi verba citare, sed hoc modo inde effectum ire, quod quisque loco inesse aperte vider, terram coelosque caduca qua sint natura et tenui conditione, nihil constantis habere, qui aliquando etiam plane desituri sint. Quod ita dictum esse, vt iusta oppositione sic magis effteratur imperii, quod dei filius commissum sibi accepit, aeternitas, comm. 8. expressa, nemo facile dubitauerit. Sed minus aliquis viderit, quo valeat talis Christi domini cum coelis comparatio in ea oratione, qua tota animus Paullo est illius excellentiam non ad res quaslibet alias, sed ad angelos, creatarum, quas nouimus, rerum omnium praestantissimas relati demonstrare, vt hoc consilium v. 4. haud obscure indicatum est, et ex reliqua totius capituli serie ad exitum eius usque

*A 3* v. 14.

\*) Erklärung des Briefes an die Hebreer p. 118. seqq. not. 25.



v. 14. ita patet, vt nihil clarus. Cui igitur dubitationi sic occurrit vir ingenio et eruditione quam plurimum valens, vt id factum aiat ex illo hebraici sermonis more, quo res huius vniuersi quaelibet, vita etiam et anima carentes, angelorum nomine haud raro insig-  
niantur, siquidem deus his ad ministeria sibi praestanda aequo vi-  
tatur, vt beatis geniis solet. Neque is ego sum, qui repugnam,  
ampliorem istum vocis usum in luculentis exemplis Ps. LXXVIII.  
49. et CIIII. 3.4. possum seriorisque aetatis auctoris Iudaicis  
magis etiam frequentatum fuisse: quod satis euincunt ea, quae ab  
auctore in praefatione proprius ab ipso commentario posita, dicta  
sunt p. 91-93. Quod vero nostro loco interpretando eiusmodi  
formula debitam lucem accendere valeat, hac parte, quae mihi  
iam praecipua est, quin consentiam non leuibus impeditus mihi  
rationibus videor. Primo enim hoc obstat, quod videam, et fa-  
cros, et sequioris aeuī auctores Iudaicos angelorum nomen tum  
demum tropice usurpare, quum de re aliqua gerenda, de consilio  
quodam diuino, vel negotio perficiendo eoque grauiori et eximio  
sermonem faciunt: nullum vero eiusdem tropi exemplum iis locis  
occurtere, quae ad declarandam rerum creatarum quantumuis  
magnarum gratiumque naturam composita sunt. Psalmi autem  
particula, quam Paullus citat, argumentum habet, non ex priore  
illo, sed ex hoc genere altero petitum. Deinde sunt quidem res  
quaedam inanimatae singulæ, quas Hebraeæ linguae mos angelos  
figurate vocet, nullo vero adhuc argumento euictum est, idem  
et in vniuerso terrarum orbe describendo fieri, ad quam certe vni-  
uersitatem vatem respicere, dum terram coelosque dicat, in apri-  
co posita res est. Quam porro non quisque sentit ad persuadendū  
sibi difficillimum, Paullo, dum illa Psalmi verba repeteret,  
animo obuersatam esse figuratam rationem angelos dicendi, quum  
ipse hoc agens ista angelorum voce plane non utatur? Vel  
maxime

maxime tandem id memouet, vt ne in doctissimi viri explicatione acquiescam, quod qui illam probat, is apostolum ea argumentandi ratione vsum afferat, cuius omnis neruus in vocabuli *ambiguitate* recumberet. Nonne tu enim aperte vides, v. 4. hoc sibi declarandum sumere ipsum, Christum dei filium ea esse dignitate et praestantia, qua multum angelis antecellat non iis, qui tropice ita dici solent, sed mentibus illis coelestibus, quae hoc quasi proprio nomine in diuinis quum prisci tum noui foederis tabulis ornantur? Quum igitur angelos ἑξωντες sic appellatos Christo conferre suscipiat, quam incongruum est, tali orationi earum rerum mentionem inserere, quae ab illorum natura tanto interuallo diuersae sunt, quamuis idem ipsis nomen nonnunquam tributum sit? Ego certe, quid sit rem significatam mente omittere et in solo vocabulo haerere, non intelligo, nisi hoc demum sit. Ita enim prorsus rem ab ill. Michaëlis expositam esse, ex subiectis infra eius ipsius verbis, quibus hanc pericopam cum superiore, et subsequente oratione connectere studet, cuiuis lectori sponte iudicandum committimus\*). Res manifesta adeo est, vt vix aliquid magis, Paulli ar-

gumen-

\*.) An einem andern Orte redet die Schrift von dem, was wir Engel zu nennen pflegen, von den Elementen, die Gott zuseinem Dienste gebraucht, und so gar von der allerreinste, durch keine irdische Materie bekleten Himmelstuf, auf folgende Art: Du Herr haft ehemals -- nehmen kein Ende Selbst also das, was uns als das unveränderlichste unter den Himmelsmaterien vorkommt, ist nach der Philosophie dieses Psalms ueber das Weltgebäude, nicht ewiger und unverweslicher, als der grobe Stoff anderer Körper. Es neiget sich mit ihnen zum Untergang, und gehoret nicht mit zu dem edlern Theil der Geschöpfe Gottes, der durch seine Unsterblichkeit das Bild des Schöpfers ausdrückt. v. 13. Doch auch von den unsterblichen Geistern zu reden, die man mit unter dem Namen Engel begreift, ja die ihn im eigentlichen Verstände tragen; welchem Engel hat Gott ie rel.



gumentationem, si ad hanc normam constructa esset, eo esse vitio laboraturam, quod logicae artis magistri in admissis vnius *ratiocinii quatuor terminis* cernunt et iusto nomine damnant \*). Nemo vero hoc velit, qui aequum et fas iudicat, in sacris literis hoc tenare, ut earum consensus quauis parte firmetur et illucescat.

Haec fere mecum perpendens, in nostri loci difficultate tolenda cum viro oculatissimo facere non possum, qui aliis huius epistolae locis quam plurimis lucem intulisse clarissimam videtur. Atque idem etiam admodum vereor, ut *ven. Semlerus* tenebras, quibuscum hic conflictandum est, idoneo modo dispulerit \*\*). Cuius mentem si recte capio, iudicat ipse, quem *Zionis restauracionem* post cladem Babylonicam a Deo vates expetat, eandem sensu aliquo ampliore acceptam Iudeos in iis felicitatis partibus posuisse, quas a Messia se impetraturos sperarent. Hinc igitur iam ante

Paul-

\* ) Quo eodem vocum *ἀμφιστας* secundi studio iterum obstrictum habemus Paulum, dum eiusdem ad Hebraeos epistolae Cap. II, 2. legis per *angelos* latae mentionem iniicit, si angelorum ista vox de terrae motibus, tonitruum fulgorumque pompa cum legis sinaiticae rogatione coniuncta, esset intelligenda, ut hic apostoli egregius caeterum interpres vult in *praeliminari differt. de Capitibus I - IIII. p. 94.* Sed iam neque vacat, neque res nostra fert, de isto loco differere.

Miror quidem, haec haec tenus exposita quum cuiusvis fere sensu, commentarium ill. viri legentis se offerre videantur, nihil eorum obseruatum esse in venustissimo scripto Germanico, *Schreiben an den Hrn. Hofrath Michaëlis, seine Auslegung des Briefs an die Hebräer betreffend*, paucis abhinc mensibus edito. Quod vtinam magnus commentator responsione dignetur: quaedam certe dubia istis literis insunt, a quibus non facile adeo te liberes, nisi *Michaëlis* aliquis dubitationem eximat.

\*\*) Paraphrasin viri summe reuer. habemus, annotatione vberius illustratam in den Beiträgen zu genauerer Einsicht des Briefs an die Hebräer, Baumgarteniano commentario praemidis p. 94.

Paullum apostolum solemne ipsis fuisse, non modo quae hic occurant de reducendis in Palaestinam Israelitis dicta, de beneficiis etiam sub noui foederis *monumenta* parandis explicare, sed laudes quoque, quas deo psalmes dixerit, ut Messiae debitas accipere: pro eo utrumque allegoricae interpretationis modo, quem illis temporibus in Iudaica gente late regnasse nemo non nouit. Quem dum epistole nostrae auctor intueatur, non alienum ipsi videri, eo seruatoris excellentiam apud Hebraeos commendandi argumento vti, quod ipsorum doctoribus certe familiare esset et usurpatum (si vel iure hoc minus aequo inualuit). Ut verba ita fere sint intelligenda: dum vos Hebrei tenetis, Psalmi CII. exitu Messiae etiam gloriam celebrari, nonne intelligitis vestra ipsorum interpretatione hoc effici, ut creator ille coelorum terrarumque sit, infinitum igitur quantum angelis praestantior, quorum partes in mundo creando fuisse, quosque perfectione gaudere nullatenus inquam mutanda, ut istam quidem a carminis auctore Messiae vindicari conceditis, nullibi legitur scripturarum, neque vila interpretationis allegoria a quoquam excuspi ex his potest?

Ut haec sunt a viro celeberrimo tradita, satis iam appareat, ex ipsis sententia Psalmum, si ad iustae hermeneuticae leges exigatur, quae non permittunt nisi unum cuius dicto sensum subesse, Messiae sacrum nullo modo haberi posse; Paullum vero cum iis agentem, qui illum de hoc interpretarentur tamen, horum ingenium ita sequi, ut ea etiam ratione Messiae gloriam apud ipsos efferat ac defendat, quam etiamsi per se minus probabilem, *ἀλεγοπίστες* certe Hebrei detrectare non deberent. Ego vero iam nolim id negare, optimo scriptore satis dignum aliquando esse, eo argumento aduersarium petere, quod huius ingenio est accommodatum, etiamsi praesidium veritati tuendae ipsi parum

B

ido-





idoneum esse videat. Neque etiam nulla istius rationis exempla in Christi apostolorumque sermonibus et epistolis prostat nouimus. Sed quum iustus disputator aduersam veritati opinionem confutans id merito prouidere debeat, ne in alium errorem inducat, vel iam suscepsum confirmare videatur: male puto factum esset, si cum argumentationibus, quae ex certis principiis quis duxerit, eodem hoc genus vinculo connectat, nullo indicio prodens, esse istud naturae multum diuersae ab illis. Eum nimurum, qui praepostere admissam alicuius opiniunculam ad aliam eiusdem aequa peruersam sententiam conuellendam adhibet, id ira agere postulamus, estque haec prima omnis *νατ’ ανθρωπον* moderandae disputationis lex, vt testatum simul aliquo modo faciat, et si nunc *sumat* eiusmodi commentum, neutquam se tamen idem *probare* tanquam verum. Quod quum omiserit, vel se ipsum eidem errori obnoxium demonstrasse, vel errantibus tamen eundem conseruasse censendus est, quod vtrunque a veritatis amante et consulto alienum est quam maxime. Ecquis vero non vider, si ex Semler mente iudicandus sit Paullus, aequas has adeo leges ipsum migrasse, quid dicam, *Logicae vapulasse?* tantum abest, vt in virum diuino spiritu ductum tale quid cadat. Vix enim qui segmentis 5. 6. 8. 9. elogia ex Psalmis II. LXXXVIII. XXXV. ea attulerat, quorum proprius atque unicus sensus in Messia praedicando cernitur: iis iam v. 10. nostri verba addit, particula KAI interueniente, quae horum nexus cum locis ante citatis eum infert, vt haec allegandi plane non deprehendas aliam rationem esse et modum, quam quo illa priora huc pertracta sunt. Quare qui possit eiusmodi artificium nostro loco recte applicari, ego non perspicio, nisi forte Psalmi etiam tres illi reliqui, quorum numeros indicaui, allegorice demum tractati aliquid ferant, quod in persona Christi domini collandanda valeat; qualem suspicionem e medio tollere, nostrae

nostrae iam opellae neque fines permittunt, neque consilium  
exigit \*).

Itaque siue binis his Psalmis LXVIII. et CII. siue Paullo  
Eph. IIII, 8. et Hebr. I, 10 - 12. illos citanti nondum quod satis est,  
consultum ab interpretibus esse existimans, vtraque loca nouae me-  
ditationi subiiciens, in coniecturam incidi hanc, quam ut alii  
etiam, si fieri potest, examine tentent, iam publice hic enarran-  
dam duxi. Paucis quidem verbis sententiam complexurus ita sta-  
tuo: vterque Psalmus eximio illi legato dei, qui et ipse deus

B 2  
est,

\* ) Ipse vero vir Ven. citata ex ipsis Psalmis effata ita explicauit, vt tali  
fuspcioni ansam hic omnino non dedisse videatur. Velle ab ea absti-  
nissimè etiam duobus in aliis epistolæ huius locis, vel rationes adieci-  
set, quae illam requirere videbantur. Cap. nimurum II. 6. seqq. not.  
124. et versu 13. not. 131. Vtrumque enim carmen a f.r. *Carpzonio* in  
*Exercitationibus Philonianis* ita est illustratum, vt iam non occurrat,  
quid post doctas has interpretationes ad rectam dictorum intelligentiam desit. Quid tandem cogit, Psalmum VIII. de Adamo agere, quum  
ipse *filius hominis* apte dici haud possit, et cum huius etiam ortu infan-  
tum fugientiumque commemoratio minus recte coniuncta appareat? Be-  
neficia David celebrat omni humano generi praestita: neque alius hymno  
sensus a d. Paullo tribuitur, eo illum animo citante, vt demonstret,  
quibus praerogatiis nostrum genus superbiat, has vel maxime in Mes-  
siam eundem etiam hominem, esse collatas. Alterum vero locum quod  
attinet, quid subest, quod doctissimus Theologus verba: *Εγενετο από θεού μετανοησις ανθρώπῳ* malit ex 2 Sam. XXII, 3. quam ex Ies. VIII, 17. repeteret,  
vbi eadem plane tum in hebraico textu, tum in graeca versione pro-  
stant, eique inserta orationi, quam nemo facile renuat de Messia in-  
telligere? Sequens illud: *ΚΑΙ ΠΑΛΙΝ οὐδὲ ιησοῦς καὶ τ.λ.* ex eodem  
Ies. VIII, 18. petitum si dubium adfert, sublatum hoc a *Carpzonio* vides  
similibus locis bene multis ex Philone propositis. Religionis interesse  
quam maxime videtur, ne Christum et apostolos lubricas cum Iudeis  
allegorias in scripturis interpretandis adamasse iudicemus.



est, Iudaicae olim gentis tutori ac defensori dicatus est: qui idem quum aliquot saeculis post Messiae in terris personam gesserit, huic illorum carminum effata Paullus sacra esse merito adfirmat. Ut vero mens apertius declaretur, quibusue rationibus compulsus hoc sentiam, pateat, erunt tria momenta iam diligentius explicanda: *vnum* *hoc*, *deum illum*, *dei legatum* Iudaicae olim gentis tutelarem ipsum dei filium fuisse, qui servatoris postea munere inter homines functus est; *alterum*, *Psalmos saepius dictos* eidem huic summi dei legato dicatos esse; *vnde id tandem* concludi poterit, quo par fuerit iure, Christi gloriam ac maiestatem ex istis carminibus a Paullo demonstrari. Singula seorsim tractemus.

Quod igitur primum omnium adserri a nobis debet, est hoc abunde notum, in vet. testamento celebrari aliquem מֶלֶךְ יְהוָה, qui Abrahami iam et post illum magis etiam Abrahamidarum salutem curauerit. *Angelum Iehouae* quod reddant interpretes, vix defendere ausim satis commode fieri, siquidem constat, vocis hebraicae significationem latius patere, quam quo haec graeca ecclesiae vsu protenditur. Praefat certe *nuntium*, vel *legatum* vertere, quo hoc imperrabimus, vt illo *in creati* epitheto, quod in hac re iustissimum quidem, scripturis tamen insolens est, non indigeamus. Qualis vero hic legatus fuerit, quum iam quaeritur, mirari oppido non satis licet *Grotii* et *Clerici* temeritatem, ex angelis a deo creatis ipsiusque ministerio addictis *vnum* fuisse iudicantium. Imo diuinam eius naturam summi numinis maiestati parem si non omnia, plurima tamen vet. test. carmina pandunt, quibus de hoc legato exponitur. Hagari Abrahami domo profugae obuius ille Gen. XVI. 10. recipit, immensam se ipsi posteritatem paraturum esse, quale promissum merito non exspectet aliquis nisi a deo fieri,

a quo etiam plurimis aliis locis profectum legitur. Cap. XXII.  
 12. idem legatus edicit, sui causâ pium patriarcham vitam filio  
 adimere paratum fuisse, qui certe deo ita iubenti immolare eum  
 decreuerat. Illustrissima vero ipsius visio in rubro est Exod. III,  
 2. ex quo se eum profitetur deum esse, quem sancti maiores  
 venerati sunt v. 6; a Mose Iehoua dicitur v. 7; quin ipse hoc sibi no-  
 men nunc primum tribuit v. 14. 15; gentium se quum Israelitae,  
 tum eriam Aegyptiacae et Palaestinensium dominum aperte decla-  
 rat v. 7. 8; et suo iam nomine Mosen mittit ad Israelitas liberandos.  
 Sunt vero haec omnia eius generis, quae non possint cum ratione  
 nisi summo deo tribui. Et manifeste quoque haec eadem huius  
 legati dignitas proditur Exod. XXIII, 20 - 23, dum non modo  
 aequum illi ius vindicatur in Israelitarum peccata animaduertendi,  
 sed dei etiam nomen, quod ipsa dei natura Hebreis est, inesse di-  
 citur\*).

Ex quibus locis omnibus hoc simul intelligitur, tutorem eum  
 defensoremque Abrahamidarum fuisse; sed neque reliqua race-  
 re licet, quae in rem eandem prostant grauissima testimonia. Qua-  
 le duplex Iacobi formula continetur, qua aduersus nepotes virtut  
 Gen. XXXXVIII, 16. legatum quippe dei in omni periculo sub-  
 eundo opitulatorem sibi fuisse praedicat, et ab eodem Iosephi fi-  
 liis futuram beatitatem apprecatur. Neque alium, nisi hunc ip-  
 sum Iacobi colluctatorem Cap. XXXII. fuisse, inde colligo, quod  
 quum ipse dei nomen ad se refert v. 29. tum pius etiam patriarcha  
 hanc dei apparitionem sibi obtigisse gloriatur v. 31. Atque eundem  
 Israelitarum exercitui, dum Egypto exirent, ducem fuisse, nubis

B 3 columnna

\* Longiores de increato angelo disputationes instituerunt *Glaeius* in *Ono-  
 matologia Messiae prophetica*, in *Opusculis eius* Luggd. Bat. 1700.  
 iunctim editis p. 427. sqq. obvia; et *Deylingius Observacionum sacrarum*  
 quum aliis locis, tum maxime *Parte II.* ob. VII.



columna oculis quasi proficiscientium ipsum repraesentante, et Egyptios, qui illos insequerentur, prostrauisse, Exod. XIII, 19. 24. 25. relatum legimus. Iam quae ex *Iudicum* libro huc etiam aduocari loca solent, certa quidem res videtur de legato cum Gideone loquente VI, 13. qui semel in hoc contextu יְנָנָי, bis vero יְהוֹרָה vocatur 14. 15. 16. et viro edicit, sua se ope hoc effecturum esse, ut Midianitas ille vincat; reliqua vero nihil tale, quod certum sit, adferre videntur\*. Sed de Iesaiæ effato Cap. LXIII, 9. dubitari vix potest, quin hoc pronunciet, legatum dei (nolim enim cum quibusdam in מלֵא פְנֵי aliquid amplius quaerere, quam in genti Israeliticae per omnes, quas subire debuerit, vivissitudines tutorem adstituisse ac vindicem. Ex quibus scripturarum elogiis si quis putauerit hoc tantum elucere, Israelitas isto duce et propugnatore ad ingressum vsque in Palaestinam gauisos esse, nae talis interpres promissis diuinis Exod. III, 8. XXIII. 23. sensum subiiceret iusto angustius contractum. Cladem enim haec non solum, sed internecionem plane priscorum incolarum praedicunt per hunc legatum praefstandam, quae certe ante Daudis tempora perfecta non fuit. Quare quum huius etiam regis aetate gens Iudaica legati diuini praefidio ac tutela carere non potuit, quid iam impedit, eundem *Israelitarum reipublicæ omnino praefidem ac rectorem agnoscere?*

Sed quum deum ipsum esse ante iam euictum sit, non dubitamus etiam, eam diuinæ naturæ ὥποστασιν, cui eximum illud filii dei

\* Cap. II, 1. dum oppidum, unde legatus dei exiuit, nominatur, malim aliquem prophetam intelligere, *Gilgale* alias rem habentem, inde vero iam *Bochim* profectum et sermonem, qui adfertur, dei nomine ad populum habentem. XIII, 3. 9. vere angelum aliquem, ex creatis scilicet adparuisse video; nihil omnino hic virget, increatum illum, qui vocatur, intelligere.

dei nomen in aliis scripturarum sacrarum elogiis dari solet. Etsi enim hoc plerisque auctori bus sumere magis, quam recte probare mos sit, alii tamen duo rei argumenta adferunt, quae et apud me quam plurimum valent. *Vnum* est ex Malach. III, 1. petitum, vbi Messias, dei ipse filius, מלאך הָבָרֶה legatus foederis causa adhibitus vocatur. Constat vero, foedus deo cum Abraham pactum his fuisse conditionibus, ut huius posteris terrae Cananaeae possessio concedenda esset ac seruanda, ipsi vero tanto incitati beneficio recta in deum pietate et religione vterentur. Et eam quidem conditionem, quae ad deum pertinet, ab hoc populi duce vere praestitam esse, ex ipsa prouinciae, quam gessit, natura ita elucet, ut id simul cuius sine opera offerri existimem, tam praecclare de illis promerendo grauissimum quoque auctorem Israelitis extitisse ac monitorem, ut et sua ipsi officia explerent. Ut adeo descriptae haec tenus personae appellatio *ministri foederis* (מלאך הָבָרֶה) aptissima profecto sit. *Tum* autem nihilo minorem vim habet, quod d. Paullus 1 Cor. X, 4. diserte perhibet, Christum Israëlitarum per Arabiae arenas comitem fuisse, dum aquas etiam ex petra illis bibendas elicuerit. Vbi infitari quidem haud possumus, verbis apostolum vii ex Iudeorum fabula, absone certe, compositis, rupem aquis exundantem Israëlitarum castra sequuntam esse\*); sed eo miramur magis viri sapientiam sua oratione edocentis, quae vera res tali fictioni ansam dederit: quod dei nimium filius, quem noua οἰνοποιία χριστόν veneratur, Iudeorum maiores in illis itineribus continuo comitans, vbi hos potus copia deficeret, vel saxa fontibus se et riuis in ipsorum gratiam effundere iuss erit. Quibus ita repetitis iuuabit nouam aliquam assertum nostrum demonstrandi rationem adiungere, ex Ies. XXXXVIII, 16.

tentan-

\* vid. collectas a Wetlenio ad h. l. ex Iudeorum scriptis sive opes, sive somniantium hominum ineptias.





tentandam. Ad ipsum hunc V. T. palmarium locum prouocamus, in quo fides de *S. Triadōs mysterio* est tam luculenter proposita, vt qui aliam interpretandi rationem aduocare velit, certe vim carminii inferre debeat. Quum igitur sanior quisque interpres hoc nobis concedat, Iehouam eum, qui missum se hic declarat, secundam diuinitatis υποστασιν dei filium esse, iam velim ad ea attendi, quae in reliqua huic connexa oratione iste dei filius se perfectum pollicetur. *Cyrum* regem se emissurum (v. 14. 15.) promittit, qui Babylonicos et Chaldaeos opprimat, oppressos ab illis Israelitas in libertatem vindicet (v. 20). Eiusmodi vero beneficium a quo tandem par erat huic populo praestari, si non ab illo Iehouae legato, cui commissum hoc fuisse vidimus, vt publicam Israelitarium salutem tueretur ac stabiliret? Dicentem igitur ista מֶלֶךְ יְהוָה agnoscamus oportet, hunc vero, si recepta comm. 16. interpretatio valet, (quae valere vrique debet), eum, qui in natura diuina, quoad haec trina est, secundum ordine locum tenet.

Eius filii dei personae notionem adhuc informauimus, qua praeses ipse ac rector rei Israelitarum publicae olim fuisse habendus est. Iti igitur dum talem spartam gereret, celebrando Psalmos LXVIII. et CII. dictos fuisse, altera est sententiae nostrae pars. Quae grauius vix potest, quam eadem illa ratione confirmari, quae ad hanc persuasionem nos primum inuitauit. Est vero ista in utriusque carminis arguento sita, quod quisque videt neutiquam a priuata alicuius hominis conditione desumptum esse; ego quidem certum teneo, publicas fortunae conuersiones, quas Iudeorum ciuitas experta fuit, spectare. Neque hodie aliquis doctus facile contradicat, dum de centesimo secundo optimorum interpretum consensu confirmatus ita statuo, esse ipsum sub exilio Iudeorum Babylonico a pio quodam viro conscriptum, qui populi in liber-

libertatem restitutionem hac elegia efflagitet. Id nempe certo certius illa vota produnt pro Zione iterum aedificanda v. 14. 15. 17. et exilibus in metropolin Hierosolymam reducendis v. 21. 22. nuncupata. Quas preces quid quæsio iubet mystice explicare de futuris ecclesiae Christianae afflictionibus, quum nihil sit, quod proprio sensu accipere vetet? Nolis tu vero in Psalmorum volumine esse, qui his demum temporibus in lucem editi sint; prophetam igitur, per me licet, te legere censeas, stante adhuc re-publica imminentem ipsi calamitatem vaticinando plorantem: quod admittens argumenti tamen rationem seruabis eandem, quam ipse esse existimo.

Quod autem et *sexagesimo octauo* talem vatis mentem subesse velim, plerique audacius quidem dictum iudicabunt, qui totum illum ad res noui testamenti canendas comparatum putant. Quam hi viri sententiam nunquam tamen adoptassent credo, nisi Paulli Ephef. IIII. auctoritate eo compulsi visi sibi fuissent. Sed vt ipse, si quis alias, apostolicae assertioni nihil derogari velim, hoc tamen illi inesse non video, *integrum hymnum ad seruatoris in coelos adscensionem et beneficia sub noua ðæðnæ humano generi parata pertinere*. Iaque modo huic particulæ, quæ hymni v. 19. constat, sensus serueretur a Paullo ipsi tributus, aequum erit, in reliquis eam interpretandi legem sequi, quæ carmini ita accommodatissima est, vt necesse non sit ad insolentiores, quarum similia exempla nullibi prostant, allegoriæ confugere; has vero ii commentatores accersunt, quibuscum in nostra caufsa facere mihi datum non est. Re igitur vndiquaque circumspecta, sic sentio: summi dei maiestatem in fortunandis publicis Israëlitarum rebus conspicuam a Dauide celebrari. Quod argumentum ita ipse tractat, vt ad v. 19. vsque enarrat, quam deus gente per Arabiam du-





cenda, hostibusque vincendis quum in ipso illis itinere obuiis, tum iis, qui Palaestinam hucdum tenuerant, nominis sui gloriam illum rediderit; reliqua parte hoc etiam persequatur, dum promissam terram iam incoleret Iacobi progenies, ab hostibus non vnis turbari solitam praesentissimis eiusdem numinis auxiliis egregie semper sustentatam esse. Estque ad rem nostram in primis etiam obseruandum, quod cel. Michaëlis aliquo loco\*) praecclare monuit, istis laudibus hic illic insertam esse hanc, quod ab exitu inde Israëlitarum ex Egypto praepotens ille deus dignatus sit iis locis domicilia quasi sibi figere, in quibus hi versarentur. Iam enim in desertis locis praefens eximio modo Israëlitis visitur v. 5. 6. in finaitico maxime monte, dum ad hunc illi castra essent metati v. 9; tum vero in Zione, humili colle ac sterili, cuius inuidia crederes Basanitidis iuga et Libani tacta esse v. 16. 17. dum templum hic sibi exfruendum curavit, quod continuo collusret v. 29. Quae in vniuersum de Psalmo nostro obseruata si satis sibi constant, ut fundamenti loco ipsi interpretationi subternere liceat, adparet certe, ex eo illum genere esse, quod diximus. Et si quis ad hanc normam ipsum interpretandi periculum faciat, maximam quidem partem hoc scripturarum caput ad intelligendum facilissimum esse viderit (quod veritatis indicium in tali negotio haud abs re haberi solet), et si in singulis quibusdam dictiōnibus ἀντοντα maneant, quae aliam adhuc lucem desiderent.

Iam vero, si veritati non aduersa videntur in medium adhuc allara quum illa priora de dei filio ad Israëliticae ciuitatis gubernacula olim sedente, tum proxima haec de vtriusque psalmi argumento prodiit; est igitur plana nuncres, quam propter vnum acque

ac

\*) In singulare Epimetro huius Psalmi causa Rob. Lowthii aureis de sacra poësi Hebreorum prælectionibus addito pag. 544. edit. Gotting.

ac alterum carmen ad illum dei filium maxime referre fas fuerit. Cui enim, quas vidimus LXVIII. agi, laudes et concelebrationes debebantur, nisi ei deo, quem comitem, antistitem ac moderatorem Iudaica gens ab eo inde tempore habuit, quo suis legibus viuere coepit, cuius Davidis etiam aetate deuinctam perstisset, supra demonstratum est? Patrium vero solum mutare iussa, duroque barbarorum iugo fracta cui ingemisceret potius, quemue sibi vindicem et σωτηρα, quod CII. agitur, expeteret magis, quam eundem hunc *dei legatum*, qui defensor illi fidus et opitulator ab ipsis inde ciuitatis incunabilis extiterat? Itaque ipso Psalmorum contextu, si cum reipublicae Israëliticae conditione conferatur, edociti temenus, in dei filium dictos esse: estque, si iusto non blandiores in nostris nobis coniecturis simus, eo res delata, ut iam non Paulo adserenti eam credamus, sed intelligamus ipsi, ita eum explicare omnino debuisse.

Grauissimis nimirum istis caussae nostrae momentis recte hactenus declaratis, poterit hoc *denique* sine negotio etiam perspici ac confirmari, iuste esse optimeque ab apostolo factum, quod vtrumque carmen ad Iesu sospitoris nostri laudes conuerterit. Omnis res ex eo facile iudicanda est, quod idem ille dei filius, qui dum vetus διάθηκε maneret, rei Iudeorum publicae prospexerat, nouum homines inter deumque foedus sanxit, quum omni humano nomini perfectam beatitatem restauratus, nostra induitus mortalitate Messiae munere in his terris fungeretur. In illis psalmis quod stator Israëliticae ciuitatis tutorque celebratur, pertinet vidimus ad alteram in diuinitate ὑποσασιν: neque sunt nisi ad hanc eandem referenda, quae in apostolorum tabulis de θεωνθρωπῳ dei hominumque conciliatore traduntur. Quum igitur insita huius naturae virtus et infinita praestantia est ab oculis ponenda, vides hanc ex iis etiam locis



aptissime demonstrari, quae etsi non Messiam, Israëlitarum du-  
 cem tamen et summum olim antistitem fistunt: siquidem vtraque  
 prouincia ab eodem vna post alteram deo fuit ornata. Quae si  
 quis seruet, dum Hebr. I, 10-12. legat, perspicua huic iam credo  
 ratio erit, quam apostolus isto in loco sequitur, Psalmum CII.  
 suo consilio excitans; neque reliquum esse vereor, quod amplius  
 desideret. Atque idem et de LXVIII. valere, si istum conferas cum  
 Eph. IIII, 8-11. secundum ea, quae prolixius supra de huius car-  
 minis argumento disputata sunt, admodum videtur consentaneum.  
 Quanquam fateor, nisi Paullum haberemus distincte id monentem,  
 vix aliquem, quod iudico, sponte hoc capturum fuisse, quod  
 hymni comma 19. Messiae ex terris redditum in coelos et munera in  
 ecclesia variorum ab eo facendas ordinationes designet: est enim  
 certe hoc segmentum vnum omnium ex obscurissimis, quae in isto  
 carmine habentur. Sed quum institutum nobis non sit, singula  
 commata perseguiri et ipsa verba interpretari, abstinemus quidem  
 ab enarrandis iis, quae possent probabiliter adserri ad haec ob-  
 scuriora illustranda. Hoc vero vnum praeterire haud debemus,  
 quum intra ipsos nostrae commentationi descriptos fines iaceant,  
 ut reliquum praecipuumque Psalmi argumentum supra explicati-  
 umus, cum hoc, qualem d. Paullus declarauit, commatis 19. sen-  
 tentiam egregie conspirare. Eo nempe clarius elucet eximius  
 numinis in Israëliticam gentem fauor, quod in humili terra inter  
 ipsos domicilia quasi ac sanctuaria sibi sacrare dignatus fuerit iste,  
 qui ex iisdem terris in coelos aliquando solemnii pompa adscen-  
 furus esset, clarissimo indicio, quam ipse vltra res humanas sit in-  
 finitum elatus, dum augustissimum praepotentis dei palarium pa-  
 ratum sibi habeat, quod incolat; quantumque hoc non reputet  
 quisque beneficium Abrahamidis praestitum, quod ciuiles ipso-  
 rum res curae sibi esse, quin ipse procurare et constituere volue-  
 rit

rit hic, qui ecclesiae ad aeternum duraturam beatitatem contentis salutem ac studia gubernet? — Ira vero iuuat, quaedam saltim in difficultima re profecisse: quae si ab aliis forte augeantur, quin si ipsa haec nostra aequo quis animo limanda poliendaque duxerit, iucundissimum hunc opellae fructum ferre nobis videbimus.

*M*ichi certe non licet longius letores morari, quin aperiam tandem, quo maxime consilio hoc quidquid est scriptio*nis in publicam lucem a me protrusum sit.* Clementissimo istam opportunitatem relatan fero SERENISSIMORVM SAXONIAE DVCVM, huius academiae NVTRITORVM MUNIFICENTISSLIMORVM de me iudicio: qui sanctiorum disciplinarum studia in hoc bonarum literarum domicilio magis etiam amplificatur et incitatur, sententiis de constituedo nouo Theologiae professore ordinario honorario collatis, hanc mihi spartam solemni decreto demandarunt. Ipse vero quod has Germaniae partes pede nunquam attigeram, et beatissime omnino dulci in patria latitare mihi visus fueram, nuntio rei inopinato et praeter spem votaque accepto, non sine numine ita accidisse intellexi. Quo profecto magis, aegre licet meae tenuitatis conscientia affectus, religione tamen et ipsa in deum pietate tam me obligatum sensi, quam quis maxime, ut beneficia INDVLGENTISSIMORVM PRINCIPVM in me suscep*tae voluntati parerem.* Humeris igitur grauissimo oneri admotis diuina prouidentia vires in hunc usque diem ita suppeditauit, ut copti consilii salubri fructu carere me haud patiatur. Quod publice in ipsa etiam inclytiae academiae celebritate professurus, a. d. Novemb<sup>r</sup>is XXV. hora X in Theologorum auditorio huius pietatis officia ita explore constitutum habeo, ut postquam de necessario humaniorum literarum et exegeticae facultatis ad Theologiam vsu uberrimo que fructu dicta a me quaedam fuerint, pro D<sup>O</sup>MINORVM NOSTRO.

= = = = =

RVM CLEMENTISSIMORVM perfecta felicitate ac perenni gloria, quaeque ab ista pendent, huius literariae ciuitatis diuturno splendore et auitis laudibus conseruandis vota nuncupem intimo pectori profecta: meam simul fidem harum musarum commodis, qua potuero unquam ratione inseruendi sanctissime obstricturus. Hanc igitur caerimoniam, iam enim VOS compellare ausim MAGNIFICE ACADEMIAE RECTOR ILLVSTRISSIMI S. R. I. COMITES CONSCRIPTI ACADEMIAE PATRES DIVINARVM HUMANARVMQVE RERVM CELEBERRIMI PROFESSORES AC DOCTORES QUI QVE AMPLISSIMI et reliqui quot estis utriusque ciuitatis VIRI MUNERVVM MERITORVMQVE NOMINIBVS QVISQVE SVIS VENERABILES, ut desideratissima Vestra ornetis praesentia audienciamque dicturo beniuolam facientes honorem non minus mihi praefestis, quam animum confirmetis ad iustissima quaevis ex communi re nostra exequenda alacri studio contendentem, ea qua par est quemque obseruantia et humanitate decenter rogo. Quam invitationem quin et VOS IVVENES NASCENDI SORTE INGENIORVMQVE ERECTA INDOLE GENEROSISSIMI NOBILISSIMI sic accepturi sitis, ut Vestro in hac quoque solemnitate adspectu me paci et attento recreari auditu non inuideteatis, nullus dubito; ut ita faciatis, per amanter etiam a VOBIS petens ac contendens. Talem vero gratiam si demererem acceptam penes aliquem quocunque modo datum fuerit, honesto me spondeo officio cum voluptate fundaturum esse.

P. P. Ienae Domin. XXVI. post Trinit. A. O. R. COLDCLXVIIII.

---

Quod huius commentationis pag. 4. lin. 10. a fine exaratum est nihil minus, legi velim nihil clarius.

fd 3984

ULB Halle  
002 164 590


3




TA-DL

V317

M.



### FarbKarte #13



ISTI GLORIA  
ULLI SENTENTIA  
I. ET CII. CELEBRATA  
EFATVS

## I ORATIONEM

VNERIS CAVSSA

MIA IENENSI

ISSIME DEMANDATI

DAM INDICIT

COBVS DANOVIVS

A. M.  
PROFESSOR ORDINARIVS  
NORARIUS

C K E L S C H E R R I I